



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Agenda Dioecesis Paderbornensis Rituali Romano  
accommodata**

**Hermann Werner <Paderborn, Bischof>**

**Nevhsii, 1687**

Paulus Papa V. Ad Futuram Rei Memoriam.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-36005**



## PAULUS Papa V.

### AD FUTURAM REI MEMORIAM.

**A**postolicæ sedi, perabundantiam divinæ gratiæ, nullis suffragantibus meritis, præpositi, nostræ sollicitudinis esse intelligimus, super universam domum Dei ita invigilando intendere, ut opportunis in dies magis rationibus prövideatur, quò, sicut admonet Apostolus, omnia in eâ honeste & secundum ordinem fiant; præcipue verò, quæ pertinent ad Ecclesiæ Dei Sacramentorum administrationem: in qua religiosè observari apostolicis traditionibus, & sanctorum Patrum decretis constitutos ritus, & ceremonias pro nostri officij debito curare omnino tenemur. Quamobrem fel rec. Pius Papa V. prædecessor noster, hujus nostri, tunc sui, officij memor, ad restituendam sacrorum rituum observationem in sacrosancto missæ sacrificio, divinoq; officio, & simul, ut Catholica Ecclesia in fidei unitate, ac sub uno visibili capite B. Petri successore Rom. pontifice congregata, unum psallendi & orandi ordinem, quantum cum domino poterat, teneret, Breviarium primum, & deinde Missale Romanum, multo studio & diligentia elaborata, pastorali providentiâ edenda censuit. Cujus vestigia eodem sapientiæ Spiritu secutus similis mem. Clemens Papa VIII. etiam prædecessor noster, non solum Episcopis, & inferioribus Ecclesiæ Prælatis restitutum pontificale dedit, sed etiam complures alias in Cathedralibus & inferioribus Ecclesijs ceremonias promulgato ceremoniali ordinavit. His ita constitutis, restabat, ut uno etiam volumine comprehensi, sacri & sinceri Ecclesiæ Catholicæ ritus, qui in Sacramentorum administratione alijsq; ecclesiasticis functionibus observari debent, ab ijs, qui curam animarum gerunt, Apostolicæ sedis auctoritate prodirent; ad cuius voluminis præscriptum, in tanta ritualium multitudine, sua illi ministeria, tanquam ad publicam & obsignatam normam peragerent, unoq; ac fideli, ductu in offenso pedeambularent cum consensu.

A 3

Quod

Quod sanè, jam pridè agitatum negotium, posteaquam generalium conciliorum, græcè latineq; divinā gratiā editorum opus morari desivit sollicitè urgere nostri muneris existimavimus. Ut autem recte & ordine, ut par erat, resageretur, nonnullis ex vener. fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus, pietate, doctrinā & prudentiā præstantibus, eam demandavimus, qui cum Consilio eruditorum virorum, varijsq; , præsertim antiquis, & quæ circumferuntur, ritualibus consultis, eoquè imprimis, quod vir singularis pietatis Zelo & doctrina bon. mem. JULIUS ANTONIUS S. R. E. Cardinalis sanctæ Severinæ nuncupatus, longo studio, multaq; industria & labore plenissimum composuerat, rebusq; omnibus mature consideratis, demum divina aspirante clementia, quanta opportuit brevitate Rituale confecerunt. In quo cum receptos & approbatos Catholicæ ecclesiæ ritus suo ordine digestos conspexerimus, illud sub nomine ritualis romani meritò edendum publico ecclesiæ Dei bono judicavimus. Quapropter hortamur in domino Vener. fratres, Patriarchas, Archiepiscopos, episcopos, & dilectos filios eorum Vicarios, nec non abbates, Parochos universos ubiq; locorum existentes, & alios, ad quos spectat, ut imposterum tanquam ecclesiæ romanæ filij, ejusdem ecclesiæ, omnium matris & magistræ autoritate constituto rituali in sacris functionibus utantur; & in re tanti momenti, quæ ecclesia Catholica & ab ea probatus usus antiquitatis statuit, inviolatè observent. Datum Romæ apud Sanctam MARIAM majorem, sub Annulo piscatoris, die xvi. Junij M. DC. XIII. pontificatus anno decimo,

S. Cobellinus.

ORDO